CLAVDII

CAMPENSIS MEDICI, IN LIbrum Aristotelis de Memoria & Recordatione commentarij: quibus opinio Aristotelis refutatur.

Ad Bernardum Podium Lucensem.



PARISIIS.

Apud Sebastianum Niuellium sub Ciconiis in vico Iacobæo.

1556.

M. Labatus medicus B. Podio Lucensi.

Cui melius poterat tantos sacrare labores

Campensis medicæ strenuus artis eques,

Quàm tibi: qui legum sophiaéque resoluere nodos,

Quàm tibi: qui Phœbi crederis esse comes?

Nam præter nunquam periturum fœdus amoris,

Quod stabili iunxit pectora vestra fide:


Ambo Phœbigenæ: morbis quoniam ille medetur.

Carmina tu Phœbo condere digna potes.

CLAVDIVS CAMPENSIS Medicus Bernardo Podio Lucensi, S. P. D.




Olui hos breues commentarios, atque valde difficiles adhuc diuulgare, mi Podi, quin tuo indicio, tuaq; magna eruditione priùs vterer. etenim res est multùm ardua, quã philosophus summo ingenio Aristoteles nõ explicauit. Siquidem memoriam hominum eandem esse cum beluis arbitratur: celeritatem, acrimoniámque ingenij hominibus potissimùm tribuit, qui sunt præditi cerebro humido, & somnolẽto. Quibus in rebus Aristoteles, cùm turpiter lapsus sit & nemini aliter arbitrari hactenus licuerit: aut illi contradicere quisquam voluerit: ego in re tam manifesta, necessariis rationibus efficere volui, vnum duntaxat sensum interiorẽ singulis animantibus donatum esse, quod nouũ imperitis Medicinæ philosophis videbitur. Sed si veritatem rei de qua agitur, introspexerint, subinde animo & ratione intelligent, meam huius rei sententiam omninò veram esse. Denique Aristotelis opinionẽ de somno approbare non potui, ne quis ex eo putaret multiplicem sensum interiorem cõuinci posse. Neque enim quidquam veritatis continent somni capiendi caussæ, quas Aristoteles



commemorat, quod cum intelligerem, mi Podi, tuóque labore vsus essem, hos in Aristotelem commentarios, quos hactenus conticueram, sub tuo nomine apparere volui. vt deinceps tuo auxilio, tuáque authoritate munitus, liberiùs & communicare, & cũ viris doctis hac de re agere mihi liceat.

Vale.





Icendum est nobis hoc loco quid memoria sit, quidque meminisse, quid recordari, & qua ex causa oriãtur, quáque in parte animi insint hi motus & affectiones. neque enim iidem memoria & recordatione pollent, sed ferè tardi præstantiore memoria sunt, recordatione autem plus valent celeritate ingenij præditi, & dociles homines.

CAMPENSIS.

1 Cum existimaret aristoteles in libris de animo, nihil mente, neque ratione quidquam cerni quod sensuum aciem refugiat, vbique anteponit sensuũ exteriorum disputationes iis, quæ sensus interiores persequuntur: proinde libro secundo de animo persecutus est genera sensuum exteriorũ. At libro tertio, subiecit sensus interiores: simili ratione nunc substituit libro superiori, hunc de memoria & recordatione, sunt enim memoria & recordatio quędam sensuum interiorum affectiones, quas nunquã Aristoteles (vt est quorundá opinio) in sensuum interiorum generibus numerauit.

2 Adiecit memoriam & meminisse, nam cũ sint coniugata, alterum alteri vberiorem cognitionem præbet.

3 Deinceps Aristoteli non assentiemur, quòd recordationem à memoria separet, cum enim memoriam mortalem hominibus cõcedat, vt beluis: seipsum ab omni ratione qua facilè vrgeri, & conuinci



potuisset, tueri vult, solis hominibus attribuens memoriam coniunctam cum recordatione: quasi hominum memoria non sit multùm differens à beluis: siquidem ob id ipsum saltem disiungitur, quòd hominum memoria, sit rationis particeps, neque intereat vnquam. At bestię & ab omni ratione vacant, & earum memoria simul cum vita extinguitur.

4 Neque enim pleniùs possumus quidquam intelligere, quàm ex perspectis rerum causis.

5 Autor est Aristoteles libro quinto Metaphysicorum, accidētium naturam neque vberiùs neque perfectiùs illustrari posse, quàm ex cognitis eorum subiectis rebus. Itaque cū memoria & recordatio sint affectiones, aut habitus alicuius partis animi: deinceps exponenda erit ea animi pars in qua insunt.

6 Distinguit memoriā à recordatione, nam qui valent recordatione, sunt minùs præstanti memoria. Ego verò nunquam intelligere potui, quicquam interesse inter memoriā & recordationem. Hunc autē locū deinceps copiosiùs declarabimus. nam quemadmodum quidam inuentione, alij iudicio præstant: sic memoriæ diuersa vis, & ratio, in diuersos homines cadit. Etenim dociles vt cæteris paratiores sunt ad ratiocinandum, ita recordatione pollent: ac si vellet Aristoteles recordationem esse memoriam quæ ratiocinetur, vel memoriam rei ex ratiocinatione repetitā. Qua in re duplex ani-

mi munus longè diuersum spectare licet, ratiocinatio, & memoria, quæ cur coniunxerit Aristoteles vt vnum idémque opus efficeret, non video. Sed rē qui accuratiùs intuetur, facilè perspicit recordationem non differre à memoria, nā memoriæ rei, quæ non sit penitus ex animis nostris deleta, repetitio cum ratiocinatione adhibita, quæ quidem est Aristotelica recordatio, aliud est nihil, præterquàm memoria, quæ cum aliqua ex parte ex mentibus nostris effluxerit, erit memoria quidem eius quod tenemus, neque deletum est, & obliuio eius quod abest, neque cōseruare potuimus. At ratiocinatio qua vtimur vt memoriam repetamus, est officium mentis longè diuersum à memoria: idcirco cur memoria & ratiocinatio coeant atque iungantur, vt forment recordationem, non est cur Aristòteles arbitretur.

7 Non possum non mirari complures nostræ ętatis philosophos, qui probant homines tardos memoria præstare: similitudine desumpta à rebus duris & ferreis. Nam quemadmodum quod durum est, vix recipit, acceptámque rem diutiùs cōseruat: similiter arbitrantur tardos homines esse duro admodum cerebro, decepti ignoratione anatomes & quòd falsò existiment, memoriam rerum simulacris instrui, vt cera variis notis consignata: aut lapides diuersis tincti coloribus. Hæc autem commentitia opinio procul abest ab omni veritate, si-

quidem vt manus eſt inſtrumentum inſtrumentorum omnium, poteſt enim perdiſcere omnium inſtrumentorum vſum: ſimiliter memoria eſt forma omnium formarum, quoniam exiſtimandum non eſt memoriam vno dũtaxat formarum genere ornari: quemadmodum res colore prædita vno tantummodo colore tingitur propterea inueſtigandũ eſt quæ cauſa ſit memoriæ ſingularis. Naſcitur autem præſtantiſsima memoria ex acri rerum inſpectione, deinde ex earum cognitione perfecta, poſtremò ex longo rerum vſu & cõſuetudine, in quibus mẽs noſtra verſari ſolet. Cùm ergo tardi homines diutiùs & maiore labore perdiſcant, dociles verò celeriùs, & minore opera rerum perceptione imformentur: tardi pręſtant memoria hominibus celeritate ingenij præditis.

Ac primùm quidem dicendum eſt, quæ memoriæ ſubiecta ſint, quãdoquidem hoc ſæpe in errorem impellit. Neque enim res futuræ memoria comprehendi poſſunt, ſed opinione expectationéque conſtant: quamquam poteſt eſſe ſcientia aliqua in rebus quæ ſperantur & expectantur, quemadmodum nonnulli diuinationem eſſe contendunt.

1 Antequam memoriam definitione explicet, declarat ea quæ memoriæ ſubiiciũtur, nam ex eorum ignoratione, ſępe in errorem compellimur memoriam definiẽtes: ſiquidem memoria ſub ſenſum ex-

teriorum non cadit, ſed ſenſu tantummodo percipimus ea,quæ memoria compræhenduntur: proinde eorum perceptio definientibus memoriam,plurimùm conducit.

2 Ex perfecta partium enumeratione confirmat memoriam verſari ſolùm in rebus præteritis,ſi quidem neque præſentium eſt, neque futurorum memoria.

3 Opinio,hîc non declarat id quod videtur omnibus, aut pleriſque , & quemadmodum libro primo Topicorum eſt perſecutus,ſed opinio nunc ſumenda eſt,quia ſignificat quoddam animi deſiderium, quo futurorum ſtudio tenemur , vt eandem vim habeant hoc loco opinio,ſpes,& expectatio.

4 Explicat rationem qua potuiſſet conuinci, diuinatio,eſt ſcientia rerum futurarum,quam tamen memoriæ mandamus , quare futura ſub memoriã cadunt. Reſponde,futuras res memoria teneri, & conſtare ſcientia , ſi earum cauſas ſpectemus , quarum tamen effecta non ſubiiciuntur memoriæ. Siquis iterũ obiecerit cauſas & effecta ſe inter ſe conſequi, proinde vt cauſas ſic effecta cauſarũ memoria compræhendimus: reſponde , cauſas poteſtate rerum futurarum,memoriæ ſubiici,non autem cauſas quæ actione,& reuera æſtimantur.

Nec verò præſentis eſt memoria,ſed ſenſus: quippe cũ hoc ipſo nec futura,nec præterita cognoſcamꝰ,ſed modo p̃-

sentia. Memoria autem præteritorum est. Quod verò præsens est, cùm instat, & adest, vt exempli causa, hoc quod album est cum cernit, nemo memoria tenere se solet dicere: neque is qui contemplatur, atque intelligit, id quod intelligentia & mente cognoscitur, sed illud sensu percipere se dicit: hoc tantùm scientia comprehendere.

1 Iam breui refutat eos Aristoteles, qui sensuum munere memoriam complexi sunt, nam vterque sensus cum interior, tũ exterior versatur in re quæ adest: at præterita memoriæ subiiciuntur.

2 Probat sensum interiorem à memoria differre: nam sensu interiore comtemplamur, atque intelligimus: at memoriæ officium nõ cernitur in cognoscendo, sed in conseruando quod animo perceptum est: videtur Aristoteles his literis vnum tantũ modo sensum interiorẽ à memoria distinxisse. Etenim vnus solũ est tribuens singulis animantibus?

Cùm verò remota omni actione, scientiam & sensum rei alicuius habet, tum demum memoria tenet trianguli angulos duobus rectis pares esse, illud quidẽ propterea quòd didicit, vel comtemplatus est, hoc verò, quod ita audiuit, aut vidit, aut aliquid eiusdem generis. Semper enim cùm memoriam ad opus conuertit, tum denique in ipso animo reputat, se hoc antea audiuisse, aut sensu percepisse, aut mẽte cognôsse.

1 Nunc declarat quomodo p̃terita memoriæ ſubiiciantur, quando, inquit, venit in mentem nos antea quidquam ſenſu percepiſſe, aut mente cognouiſſe: tum demum meminiſſe dicimur. idcirco memoria comprehendimus res præteritas, videlicet, quas aliquando didicimus.

2 Triangulum eſt figura tribus conſtans angulis. Probat autem Euclides primo libro elementorum triãgulorum tręs angulos, eſſe pares duobus rectis angulis.

3 Præterita quæ memoriæ ſubiecta ſunt, duplici genere diſtinguntur, ſiquidem alia, mente & ratione conſtant, alia verò ſenſus mouent.

Non eſt igitur memoria ſenſus, nec opinio, ſed alicuius eorum habitus, vel affectio, cùm tempus acceſſerit. Præſentium autem in inſtanti tempore non eſt quemadmodum etiam ante dictum eſt, memoria, ſed eorũ quæ adſunt ſenſus eſt, futurorum ſpes & expectatio, præteritorum memoria. Itaque memoria omnis cum tempore coniuncta eſt.

1 Antequam cumulatam omnibus ſuis partibus memorię definitionẽ ſubiiciat, exponit genus definitionis: memoria, inquit, non eſt ſenſus, nam ſub ſenſum ſolum modò præſentia cadunt: neque opinio, quia opinio in rebus futuris cernitur: ſed eſt habitus, vel affectio opinionis aut ſenſuum interiorum, cùm tempus acceſſerit mediũ inter opera mẽ-

tis quibus contemplamur, & officiũ memoriæ quo præterita ad ſe reuocat.

2 Primum genus qualitatis Ariſtoteles poſuit affectiones & habitus, quæ cum accidentia ſint, Ariſtoteles memoriam ſenſuum interiorum numero non eſt complexus: quippe arbitretur memoriam eſſe in ſenſu, vt eius accidens, quem locũ ſi diligentiùs perſcrutemur, facilè erit intelligere, memoriam eſſe proprietatem quandam ſenſus interioris, qua ſenſus inſtructus conſeruat & retinet quæ intelligit: nam vt omnis armaturæ vſus propriè manibus conuenit: & omnium virtutum cumulus eſt proprium animi ornamentum: ſimiliter memoria eſt proprietas ſenſus interioris, qua recordari, & meminiſſe poteſt.

De numero ſenſuum interiorum.

SCriptũ reliquit Ariſtoteles in poſterioribus Analyticis, & libro quinto Metaphyſicorum, omnem proprietatem ex ſubiectis rebus perſpiciendã eſſe: at memoria eſt inanimata quædam mentibus noſtris proprietas: propterea exiſtimaui non alienũ fore, ſi breuiter explicarem omnia ſenſuũ interiorum genera: neque enim eis aſſentiẽdum puto, qui multiplicem ſenſum interiorem inducunt. quippe vnus duntaxat ſingulis animantibus tribuatur: beluis quidem viſio, hominibus verò ſola intelligentia eſt donata.

Prima aduersariorum ratio.

SCripſit Ariſtoteles libro tertio de Animo, homines vti duplici ſenſu interiore. Primũ ait, cadere in homines & beluas, quem omnibus viſionem alij imaginationem, quidam phantaſiam, nonnulli ſenſum communem appellauerunt (his enim Ariſtoteles promiſcuè vti ſolet). Secũdus ſenſus interior ſolis accomodatur hominibus, quẽ vocant mentem ſiue intelligentiam. Reſponde, Ariſtotelẽ impiè & perperam diſſeruiſſe de ſenſuum interiorum natura: vt qui poſuerit animum mortalem ſi nullum opus præſtare poſſit abſque vſu corporis, & vbique autor eſt Ariſtoteles, ea ſolùm mente & ratione cerni, quæ ſenſum mouent, proinde mens ſiue intelligentia ſine corpore nullas obire poterit functiones, pari ratione animi ceteræ partes ſine corporis vſu, nullum munus præſtabunt: quare animum obnoxiũ morti ſtatuit Ariſtoteles: qua propter Ariſtotelis autoritas à nobis non recipietur.

SECVNDA.



Alenus libello de Symptomatũ differentiis, ſeparat ſymptomata ſenſus communis, ſiue viſionis ab intelligentia, etenim ſcribit ſublato munere viſionis, gigni ſoporem, & eodem violato oriri deli-

rium: cùm mentis, aut partis eius animi in qua vis ratiocinãdi ineſt, ſymptomata à commemoratis permultùm diſcrepent, quãdoquidem ſi tollatur funditus mentis actio, naſcetur amẽtia: ſi imminuatur, fatuitas: ſin autem violetur dimoueatúrque è ſuo ſtatu, fiet delirium. Itaque conuincimur duos ſenſus interiores hominibus tribuere: nam diuerſorũ cum ſymptómatum, tum morborũ genere diſtinguntur. Reſponde, Galenum ſcriptum reliquiſſe libro nono de dogmatis Platonis & Hippocratis ſe animi naturam nõ intelligere. Ait enim, cùm Plato tãtum de Diis & animo probabiliter diſputauerit, quo modo, & quid de animo in medium adferam, nihil habeo. Quare ſi animi naturã conticeat, quid de ſenſibus interioribus proferre poterit? verũ ne grauiſsimum autorẽ alicuius erroris inſimulemus, exiſtimandum eſt Galenũ in libro de Symptomatum differentiis, ſe accommodâſſe ad vulgarẽ philoſophorum opinionem, qui duplici ſenſu interiore homines vti arbitrantur. Deinde, expoſita ſymptomata mentis & viſionis, in ſolam mentem conueniunt, quæ in multiplices morbos poteſt coniici vt maiore aut minore læſione violatur. Poſtremò ſolus ſopor, & vigilia, quæ viſionis ſunt, ab intelligentiæ ſymptomatis diſcrepant, nam delirium vt mentis, ſic viſionis eſt. Idcirco accuratiùs peruidendum eſt, quæ animi pars in ſopore, & vigilia læſa ſit. Mihi vidẽtur in ea animi parte ineſſe in qua ſom

nus ſedem habet,quem falſò Ariſtoteles in viſione collocauit:ſiq idem putat ſomnum fieri ex halitu multo,qui in cerebro coactus,aquã gignit,quę quidem refluit ad meatus eos qui per vniuerſum corpus ſpiritus animales diffundunt,quibus completis vis mouendi & ſentiendi ad cerebrum, tãquam ad ſuum fontem reuocatur, atque animalia dormiũt. Ex hac Ariſtotelis definitione nõ licet efficere ſomnum in viſione exiſtere, neque enim viſionem expreſſit Ariſtoteles, ſed vires ſentiendi & mouendi quæ quidem à viſione longè latéque diſtant. Præterea ſi conſtituamus aquam,quæ ex halitu coacto orta ſit,implere vias,quæ ſpiritibus patent, vt in vniuerſum corpus diffluere poſſint,eſſe veram ſomni cauſam: parum intererit inter ſomnum & apoplexiam: neque multum diſtabit ſomnus à morbis iis, qui homines motu & ſenſu priuatos interficiunt. Nam conſtat inter omnes medicos, huius generis morbos omnes oriri ex ſubſtantia cerebri imbuta & plena humoribus, præſertim aquoſis, qui ſunt impedimento ne ſpiritus animales in totum corpus ferantur. Habitus qui in humorem aquoſum ſe vertit, quo impleantur ſpirituum itinera,ſomnum autore Ariſtotele adfert: eadem penitus origo ſomni,& commemoratæ apoplexiæ ſtatuenda erit:atqui leuiſſima quæque apoplexia, vix aut nunquam curari poteſt: proinde ſomnus quoque omnis erit perquàm difficilis ad excitandum.

Poſtremò autor eſt Galenus, meatus eos qui ſpiriti bus patẽt, vt in totum corpus commigrare poſſint eſſe in neruis,& neruoſis partibus: nerui autem den ſa terreáque admodum ſubſtantia conſtãt. quapropter ſumma cum difficultate excutiunt quod combiberunt, eíſque adhæret, hoc etiam licet intueri in diſtenſionibus, & neruorum reſolutionibus: quæ ſi quodam modo inueterârint, nunquam eiiciuntur. quare in ſomno, ſi affectum ſit neruoſum genus, quo modo celeriter, atque dormientes excitan tur. poſt ſomnum expelli poterit humor aqueus, qui neruos implet, vt ſomnum inferat? Ex iis ergo licet efficere, ſomnum neque halitus, neque humo res aquoſos procreare: ſed eſſe opus naturę quo de bilitati ſpiritus recreantur, vt ſatis eſſe poſſint omni bus animi partibus: etenim vt concoctio, ſic ſomnus nobis à natura tribuitur. Itaque ſtatim à paſtu ſomnum capimus, quoniam calor naturalis primus autor functionum ſentiendi & mouendi ſuapte vi refugit ad conficiendum cibum ſumptum, deſerítque extremas corporis partes: qui quidem ſecum deducens animales ſpiritus in quibus ſedem habẽt facultate mouendi & ſentiendi, ſe quoque ad ſuum fontem referunt, vt debilitati ſuo ſe paſtu alere, & reficere poſſint, propterea qui multam operam po ſuerunt in contrectandis ſuis rebus, & longiore ſomno vtuntur & magis ſedato animo dormiunt: potiſſimùm ſi totum ſuum negocium cõfecerint.

neque enim mens ſuis ſpiritibus quicquam præterea imperare poteſt. Proinde ſomnus eſt ceſſatio facultatum mouendi & ſentiendi ob reuocatos ſpiritus animales ad ſuum fontem & cerebrum, qui ob id ipſum ſe eò referunt, quòd præterea ſatis caloris naturalis frui non poſſint, quo ſe tueãtur & muniant tanquam pręcipuo miniſtro, quo vtũtur: vel exiſtimandum eſt ſomnum ſequi naturalem animi vim, quæ ſpiritus animales reficiat, atque debilitatos confirmet. Si quis autem obiiciat refrigerato & humefacto cerebro ſemper dormiẽdi ſtudium vrgere, propterea ſomnus nullam animi naturalem facultatem ſequitur. Reſponde, huiuſmodi ſomnũ non eſſe, ſed ſoporem potiùs, quem frigidum & humidum pariunt: quia ſpiritus debilitant, aut veluti magnis frigoribus congelati in corpus non commigrant, aut grauiſſimo ſint onerati humorũ pondere. Ex iis licet intelligere, ſoporẽ & vigilias eſſe ſymptomata facultatis eius naturalis, quæ quotidie ſpiritus imbecilles confirmet.

TERTIA.

MEmoria ſedem habet in cerebello, & in poſteriore parte capitis, at ſenſus interiores in cerebro manent. Reſponde, hoc fuiſſe ſomniũ eorum qui Pariſiis philoſophiam profitentur, nam cùm Lutetiæ Pariſiorum darem operã cuidã Theo

logo Sorbonæ Carolo Eruciano, is multas, de sensuum interiorum sede fabulas nobis narrabat. Vt memoriam reponi in cerebello: etenim omniū sensuum interiorum postrema suo munere fungitur. præterea bonus ille vir existimabat, posteriorē capitis partem quæ prominet, præstantissimam significare memoriam: verùm huius præceptoris mei pace dixerim, inexplicabili errore labitur: siquidem cerebellum ab omni concauitate vacuum est, cum putet vltimum cerebri ventriculum in cerebello existere: prçterea caput posteriori parte prominēs, aptiorem, & magis naturalem cerebri constructionem declarat, in quo pariter sensus omnes magis vigent: ita solent imperiti præceptores suis auditoribus imponere.

QVARTA.

SEnsus communis est positus in anterio re cerebri ventriculo, at mens siue intelligentia cerebri mediū vētriculū occupat, idcirco cū sede & loco discrepent, eorum quoque ratio erit longè dispar, & differens. Responde, concauitates & ventriculos qui in cerebro inueniuntur, nobis tantummodò tributos esse ad expurgandam cumulatam in cerebro pituitam, ea de causa in tractandis anatomiis semper inueniuntur huiusmodi cerebri concauitates refertæ mucosi cuiusdam humoris, neque in eis

existimandum est spiritus animales oriri, etenim cũ sint tam amplæ capacitatis, spiritus verò existant te nuißimi, & omninò ætherei, neque conseruari potuissent in huiusmodi concauitatibus repositi, neque in eis elaborari, nam spirituum tota vis subinde dissoluta euanesceret: sed animales spiritus nunquã arterias relinquũt quibus continentur: siquidẽ ex vitalibus multũ diúq; elaboratis in arteriis nascũtur animales: qui procreati, implent arterias tenues, quibus constat pia mater, & quemadmodum vtraque meninx singulos neruos integit qui in corpus commigrant, ita nerui sunt fulcra quibus nituntur arteriç illæ tenues plenç spirituum animalium, propterea cerebrum est, fere indolens, at vtriusque mẽingis dolor est acerbißimus. Nam vis sensu prçdita spiritus animantes, sequitur. Hæc verò opinio etsi à Galeno dissentiat, tamen velim lectorem diligenter animo percurrere, rem omnem, antequam quidquã improbet. Verùm vt eò vnde digressa est, nostra reuertatur oratio, velim scias inueteratam illã philosophorum opinionẽ qui arbitrantur cerebri vẽtriculos omnes, sensuũ interiorũ aliquẽ suo amplexu cõtinere, turpißimè labi, nã primus sensus interior occuparet fornicẽ quç est in vertice prima cerebri cõcauitas, alter dextrũ, alius sinistrũ vẽtriculũ impleret, tertius mediũ, postremꝰ vltimũ cerebri vẽtriculũ cõfercirer, ita aceruabimꝰ tantã sensuũ interiorũ copiã, vt neq; certo ordine neq; vlla ratione

comprobari possint. Itaque vt rem omnem in pauca conferam, necesse est existimare animum diuersas functiones obire, ob dissimiles corporis partes quas tenet. Etenim manibus appræhendit, auribus & oculis vt fenestris, vtitur: propterea in corpora tanquam in carcerem coniectus neque sonos exaudire, neque colores intueri potest nisi oculos & aures veluti fenestras, aperiat. Pariter mens quæ non cum pituitoso humore cerebri ventriculos occupat, sed ipsam cerebri substantiam, in eo cùm est, ratiocinatur, meminit, atque tenetur contemplandi studio. Propterea mens siue intelligentia ea est animi pars qua cerebrum est præditum.

CONCLVSIO.

QVum mens siue intelligentia vna satis magnam vim habeat, vt præstet omnes functiones, quibus intrinsecus egemus, non est cur percontemur sensus eos, quorum iudicium nemo vnquam in se perspexit: sed si donemus solā visionem beluis, solámque intelligentiam hominibus, res tota omnibus suis partibus, & numeris cōstabit, neque vlla inter philosophos deinceps incidet de hac re dissensio: vna enim mens contemplatur, inuenit, iudicat, meminit, diuersísque præest functionibus.

Hinc ea ſola animantia quæ ſenſum habent temporis, memoria prædita ſunt, atque ea ex parte, qua eius ſenſum habent.

1 Ex hoc loco licet ſcire, memoriā eſſe habitum, affectionem, aut proprietatem quādam mentis aut viſionis, nam mens & viſio ſunt partes illæ animi quæ ſenſum habent temporis, in beluis quidem viſio, at in hominibus mēs tempus ſentit. Itaque memoria hominum ineſt in mente, beluarum autem memoria eſt viſionis.

Quod autē antea in libris de Animo dictum eſt, de ea animi parte in qua viſa imprimūtur, nec fieri poſſe, vt ſine viſis aliquid animo & ratione percipiatur, id verū eſt.

1 Nūc aſſerit vera eſſe, que libro tertio de Animo de ſenſibus interioribus declarauit, ex quo facile eſt peſpicere, hunc libellum ſubiiciendum eſſe libris tribus de Animo.

2 Hoc euidenti errore Ariſtotelem impediri nemo ambigit, ſcribit enim libro primo de Animo, animum mortalem eſſe ſi nullū munus præſtare poſſit abſque vſu corporis, nunc verò ait, verum eſſe ſine viſis nihil ratione neque animo percipi, ſed viſum in ſenſu communi ineſt, nam ex ſenſibus exterioribus id quod ſenſus communis ſiue viſio haurit, atque intuetur, viſum vocamus: at viſio ſuum officium exequi non poteſt abſque vſu corporis, adhibet enim ſenſus exteriores, qui cum corporibus cernūt, ſic neque mens ſine corporibus

quidquam intuebitur, idcirco morti animum obnoxium reddidit Ariſtoteles, quod quàm impium ſit, videant Ariſtotelei. Ego verò cenſeo mentem multa poſſe percurrere ſine ſenſibus exterioribus, etſi aliter ſcripſerit Ariſtoteles.

Quandoquidem idem vſuuenit cum aliquid intellegentia cernitur, quod in deſcriptionibus. Vt enim illic, cum illud non adhibeamus, magnitudinem trianguli certam eſſe, tamen id quod certæ magnitudinis eſt, deſcribimus: ſic is qui rem animo cernit, etſi magnitudinem non intelligit, tamen ſibi ob oculos ponit magnitudinem ſed rem intelligit, non quia magna ſit. quod ſi qua ſit natura magnitudine prædita eáque incerta, proponit quidem ſibi finitam ac certam quantitatem, verùm qua ex parte quanta eſt, ſolùm intelligit.

1 Similitudine deſumpta à Mathematicis deſcriptionibus, oſtendit ex viſis omnia mente intelligi, quod tamen ab omni veritate alienum eſſe ſuperiùs docuimus: quemadmodum enim qui Mathematicis artibus explicandis præſunt, declarant genera ex indiuiduo propoſito auditori, veluti pedalis tri-

anguli deſcriptione propoſita exponunt omnia tri angulorum genera, vt bipedales, & eos qui ſunt magnitudine pedum quatuor præditi: ſic mens nihil cernere poteſt in rebus, quæ vniuerſæ ſunt, niſi propoſitum habeat indiuiduum primùm ſenſibus exterioribus, poſteà viſioni, ex qua mens haurit elicítque viſum indiuiduum, ex cuius perceptione, quæ ſunt in vniuerſo rerum genere contemplatur. ô impium Ariſtotelis errorem! qui mentem ita colligari coniungíque cum corporibus arbitratur, vt extingui animum ſimul cum vita exiſtimet: at hic locus paulò altiùs explicandus eſt. Si mens omnia ex perſpectis indiuiduis cernit, neque aliter quidquam poſſit intelligere, cur Ariſtoteles in Metaphyſicis tantoperè celebrat ordinem naturæ in exponendis diſciplinis? Cur deinde libro ſecundo Metaphyſicorum, ſtatuit notiora mentibus noſtris, & illuſtriora genera rerum quę vniuerſè patent quàm indiuidua. Quippe nunc arbitretur non poſſe res vniuerſas animo cerni, niſi ex propoſito indiuiduo. Ego autem magis probarem eos qui putant res vniuerſas ex earum definitione perſpecta intelligi, quàm ex rebus indiuiduis, quæ mentibus noſtris proponuntur: quod cum vbique Ariſtoteles ſcriptum reliquerit, nunc ſui eſt immemor.

2 Quas Mathematici fingunt, vt auditorum animos informare & inſtruere poſſint.

3 Vt Geometer genera triangulorum explicaturus, proponit indiuiduum certæ magnitudinis ex quo genus cuiuſque magnitudinis intelligitur.
4 Mẽs inquit, non eſt longè diſpar doctori Geometriæ, nam vt magnitudinem in genere intelligat ſibi proponit indiuiduum.
5 Magnitudinem indiuiduam etſi nolit animo intelligere, ſed genus magnitudinis, tamen ſibi ob oculos ponit indiuiduã magnitudinem vt genus poſſit perſpicere, ac ſi vellet Ariſtoteles genera ex perceptione indiuiduorum cognoſci potiùs quàm ex definitionibus.
6 Intelligit rem vniuerſam de qua agitur, nõ quia ſit magnitudinis indiuiduæ.
7 Vt genus quantitatis ex indiuiduo prædito certa quantitate intelligit.

Ac quæ ſit cauſa, cur animo percipi non poſſint, nulla ſubiecta magnitudine, circumſcriptóque tẽpore, ea quæ in tempore ſunt, non eſt huius diſputationis exponere.

1 Ariſtoteles autor eſt libro ſexto Phyſicorũ magnitudinem, motum, & tempus ita copulari inter ſe, vt nunquam ſeparari poſſint: nam id in quod vnum eorum incidit, cætera incurrant neceſſe eſt, proinde quæ tempore metiuntur, ſinę magnitudine & motu perſpici non poſſunt: hoc autẽ eſt Metaphyſicorum exponere, cur tempus, motus, & ma

gnitudo ita colligata connexáque sint.

Quoniam autem magnitudo, & motus eo ipso quo etiam tempus, necessariò cognoscantur, & visum communis sensus affectio est: illud quidem perspicuum est, primo sentiendi principio tribuendam esse horum cognitionem.

1 Breuiter confirmat motum & magnitudinem visione siue sensu communi percipi: nam tempus visione cognoscitur: at motus & magnitudo eodẽ sensu quo tempus intelliguntur. Animaduertat diligens lector, Aristotelem nunc paulò obscuriùs repetere ea quæ superiùs refutauimus: omnia quę mẽte & ratione constant, priùs sensum facere, quàm intelligentia cerni possint. Siquidem motus, tempus, magnitudo priùs cadũt sub aciem sensuum exteriorum & visionis, quàm mente percipiantur: at omnia ferè rerum genera quę mente & ratione intelliguntur, continet & metitur tempus. Quare vt tẽpus, antequã illa animo informentur, sensum exteriorem mouebunt.

2 Diximus superiùs hęc verba Aristoteli eandem vim habere, principium sentiendi, sensus communis, visio, phantasia, imaginatio: scripsit enim libro tertio de Animo, visionem communem esse beluis & hominibus: at mentem solis hominibus tribui.

Quoniam autem rerum quæ intelligentia cernũtur, me

moria constare sine visione nullo modo potest, fit vt ipsa memoria in ea parte animi quæ rationis mentisque est, impropriè & per aliud, per se autem in ea quæ primo sensu percipit, versetur.

1 Errorem eum quem superiùs reiecimus, Aristoteles tam nequiter persequitur, vt deinceps nulla eius refutatione sit opus: ait enim, memoriam esse propriè & per se visionis, nam quæ mente & ratione intelligimus, ob id ipsum solummodo memoria cõpræhẽdũtur, quòd priusquam ea mens intueretur, visio perspexerit. Cuius sententiæ falsitas est Sole clarior. Primùm quia memoriam mortalẽ inducit Aristoteles. Nã si visio & munera animi, quæ sine corporibus nullas functiones obeunt, simul cũ vita intereãt, memoria quoque, quæ propriè & per se visionis est, tolletur. Sed legimus in sacris litteris, (quarum autoritas anteponẽda est Aristoteli) multos qui vita relicta, non erant immemores eorum quæ cum in viuis essent, fecerunt. Deinde cum non sit nescius Aristoteles memoriam nobis Deorum munere donatam esse, ne mẽtis perceptiones quas longo interdum tempore cõbibimus, & informamus subinde effluerent, idcirco si mentis iudicia præstent visis, cur non potiùs Deus concessit memoriam menti, quàm visioni?

Itaque nonnullis etiam animantibus tributa est, non solùm hominibus, atque iis quæ opinionis participes sunt aut prouidentiæ. Quòd si earum partium, quæ sunt mentis atque rationis esset, profectò in aliis animantibus minimè reperiretur, ac fortasse in nullo alio ex iis quidem quæ mortalia sunt.

1 Reddit rationẽ cur memoria sit partis eius animi quæ visa intuetur, nam memoria est communis beluis & hominibus, mens verò solis hominibus propria est: at si memoria esset in mente, non caderet in bestias: sed existimandum est hominum memoriam esse coniunctã cum ratione, propterea alienam esse à memoria bestiarum & sedem habere in mentibus nostris: beluarum verò memoria in sola visione existit: quod mirũ est Arist. non pspexisse.
2 Hîc paucis ostendit non omnes bestias vti memoria, neque enim omnes beluæ opinione aut prouidentia præstãt. Opinio beluis donata est loco mẽtis eius quæ cõtemplãdi studio tenetur: at ꝓuidẽtia nõ est lõgè differẽs à mẽte, quę in agendo cernitur.
3 Fortasse adiecit, ꝓpter eos qui arbitrãtur beluas esse participes mentis & rationis reconditæ, quarũ ratio ex eo tãtummodo ab hominũ ratione aliena est, si quidem homines rationem qua vtuntur, possunt explicare & eloqui, at suam bestiæ semper conticent, propterea dicit, fortasse mentẽ in nullo alio mortaliũ genere præterquã in hominibus reperiri.

Nam ne nūc quidem in omnibus ineſt, propterea quòd non omnes mortales animantes temporis ſenſum habent.

1 Alio argumento probat non omnes beſtias eſſe memoriæ participes, nam imperfectiores vt conchæ, formicæ, ſquillæ, non habent ſenſum temporis: memoria autem cōiuncta eſt cum tempore, idcirco memoria beſtiæ imperfectiores priuantur. Poſſumus nunc temeritatis Ariſtotelem damnare, quòd ſine ratione euidenti arbitretur quaſdam beluas eſſe memoriæ expertes, nā ſi omnes beluę ſentiant, viſione quoque erūt præditæ, & ſenſu aliquo interiori quo perſpiciunt, diſiungúntque diuerſorum ſenſuum ſubiecta. Quum ergo ferāt iudicium eorum quæ ſenſus mouent, cur iudicium factum neque cuſtodire neque conſeruare poterunt? Ego propterea ſemper exiſtimaui beluas vt ſenſuum iudicio, ſic memoria alias aliis præſtare, neque vllum beſtiarum genus eſſe memoria priuatum.

Semper enim cùm memoriam ad actionem rémque cōferūt, ſimul ſe hoc prius vidiſſe aut audiuiſſe, aut didiciſſe (quemadmodum antè dixi) ſenſum habēt. Prius autem & poſterius in tempore cernitur.

1 Declarat cur memoria ſit coniuncta cum tempore, nam quando memoriam ad opus conuertimus, habemus ſenſum eius quod prius & poſterius

est: hæc autem sunt partes temporis, memoria itaque est adiuncta tempori.

Ac illud quidem perspicuum est si quaeratur, cuius tandem animi partium memoria sit, eam esse eiusdem cuius sit & viso. Memoriáque percipiũtur per se ea omnia, quae eam partem animi mouent, in qua visa imprimũtur, per aliud autem ea quae sine visis constare non possunt.

1 Hunc locum superiùs persequuti sumus, docuimus enim memoriam beluarum tribuendam esse visioni, & hominum memoriam conuenire mẽti.

Quaerat autem fortasse quispiam, quî tandem fieri possit, vt motu animi praesente, & re absente in mentem veniat id quod non adest.

1 Quia superiùs ostendit memoriam esse coniunctam cum tempore, & solũmodo pręterita in mentem venire, quæ quidem non adsunt, idcirco nunc exponit quo modo memoria compræhendantur ea quæ absunt, & res præteritæ.

Perspicuum est enim intelligendum esse, eam affectionẽ quae p sensum & in animo & in ea parte corporis in qua ipse insit gignatur, & cuius habitum memoriam esse dicimus, picturae cuiusdam speciem gerere. Motio enim ea quae oritur consignat quasi notam quandam sensorum, quem-

admodum ij qui aliquid obsignant, annulis faciunt.

1 Antequam propositã quæstionem explicet, ostendit quo modo sensa animi in memoria consignantur duplici similitudine. Prima à picturis & colorum vaietate elicitur: nã vt colorata quæque res vario colore potest tingi, sic memoria multiplici rerum animo perceptarum informatione illustratur. Quo in loco Aristoteli assentiri nõ possum, neque enim comparatio vlla probanda est, quæ incidir in ea, quæ nulla proportionis æquabilitate constant: sed corporeum vt res colore prædita, & corporis expers, vt memoria, nulla similitudinis ratione cohærent: propterea hęc Aristotelis argumentatio est eiicienda. Deinde vna res vno duntaxat colore potest affici, sed memoria eò præstantior est & ornatior quò maiore sensorũ copia oneratur: quare probabilius est memoriam obsignatas in se rerum notas conseruare vi quadam abdita, & quam nemo intelligit, nisi quis comparare velit memoriã cũ manu, Nã vt manus est omniũ instrumentorũ instrumentum, potest enim arte & longa exercitatione vsum omniũ instrumẽtorum discere, similiter memoria est forma omnium formarum, vt quæ omnium formarum ornamentum conseruare possit: vel vt virtutibus afficimur, earum enim quò in nobis maior est copia, eò præstamus: sic memoriam illustrant & amplificant sensa animi.

Secunda similitudo à superiore nō multùm differens, est sumpta à rebus quę annulis obsignari solent, nam quemadmodum consignata cera nota & species quædam annuli in ea impressa relinquitur sic ex rebus animo perceptis, sensorum quędam veluti species in memoria consignatur. Hæc verò similitudo vt superior mihi videtur, reprehensione digna, nemo enim ambigit, corpore prędit um malè conferri cum rebus iis quæ omni corpore carent. Deinde vna annulorum specie tantummodo cera cōsignari potest: proinde arbitrarer potiùs memoriam comparandam esse cū manu, quę arte multiplici instruitur: vel cum animo, qui multis virtutibus exornatur, etenim vt virtutes longus vsus confirmat, & manum paratiorem reddit, ars quam quotidie excolit: sic memoria longè præstantior efficitur, ex sæpiùs repetitis animi cogitationibus.

Quocirca ij qui in magno motu vel propter animi perturbationes, vel propter ætatem versantur, non valent memoria. In his enim perinde fit, vt si in aqua profluente motus annulúsque imprimantur.

1 Commemoratam superiùs similitudinem, nunc Aristoteles fallaci argumento approbat. quorū mens inquit, magno & multiplici motu impellitur, nō valent memoria, nā quemadmodū in aqua

profluente ſpecies annuli conſignata ſtatim deletur ob facilem aquæ motum, ſic motus animi tollit ſenſa quæ in memoria inſunt. quod quàm alienum ſit ab omni veritate, inter omnes conſtat: etenim qui in magno animi motu verſantur, ex eo non valent memoria, quòd neque acriùs, neque diutiùs intueantur ea quæ mẽte & intelligentia cõſtant: ſiquidẽ interdum mens ingente irarum ardore impedita tam firmè contumeliarum meminit, vt inuita eas cõſeruet, quamuis magnis impulſionibus agitetur. Itaque animi motiones nihil memoriæ conducunt, niſi quia obſtant acerrimis & longinquis rerũ meditationibus.

In aliis propter frigoris incommoda, ſicuti antiqua ædificia, & propter duritiem eius partis quæ motum accipit, veſtigium & quaſi ſimulacrum non imprimitur.

1 Exponit alias cauſas debilitatæ memoriæ, frigus inquit & durum cerebrũ ſunt cauſæ memoriæ imbecillis: nam quemadmodum in antiquis ædificiis picturæ & rerum ſimulacra quibus iampridem ornata fuerunt, paulatim delentur, quoad omninò euaneſcant: ſic in ſenio, confectis hominibus refrigeratum cerebrũ ſenſim ea animi ſenſa quæ in memoria inſunt, deponit: propterea ſenes nõ ſunt memores. Attamen hæc Ariſtotelis ratio cur memoria ſit obliuioſa, mihi videtur eſſe explodenda. Etſi cõ-

ſcripſit

ſcripſit Galenus libro tertio Locorũ Affectorum, frigus obliuionem inferre, tamen lõgè aliter quàm Ariſtoteles exiſtimauerit, frigus & obduratum cerebrum obliuionis cauſæ ſunt: quandoquidem conuenit inter omnes philoſophos animum ſuas functiones exequi per ſpiritus, quibus tanquam pręcipuis ſuis organis vtitur. Cùm ergo omnia frigoribus congelentur & ſpirituum motioni & omnibus animi officiis frigus erit impedimẽto: proinde mẽs in frigido cerebro concluſa, non habet tantam vim ad intelligendum, ob impeditam ſpirituum motionem, atque ſi contineretur cerebro temperato. propterea neque acriùs, neque longa ſatis meditatione excogitat & perſpicit ea quæ ratione & intelligentia cernere licet: quare nec diutiùs ea poteſt memoria conſeruare: vt quæ nec planè perſpecta ſint, nec multùm ſæpéque recolendo firmata.

2 Durum cerebrum ſpiritus cogendo craſſos gignit, quemadmodum frigus, idcirco liberè animo perluſtrare non poteſt ea quæ ſub intelligentiam cadunt, neque tenere memoria: nam quæ craſsiora ſunt vix vllo motu impelluntur.

Itaque ij qui admodum pueri & ſenes ſunt, obliuioſi ſunt, & immemores. Motu enim agitantur, illi propter incrementum hi propter deceſſionem.

1 Incrementum & deceſſionem nõ eſſe cauſas o-

bliuionis nemo negat, etsi Aristotelis alia sit opinio ac si vellet Aristoteles mentem & partem eam animi in qua memoria inest, esse in incremento corporis, & eius immi nutione ita occupatam, vt nihil prę terea intueri possit: quod quàm sit ridiculum omnibus constat. Cur autem pueri sint obliuiosi, non est causa incrementum, sed quia memoriā habent nullo cultu elaboratam, nec contenta animi acie res animo cernunt, neque longa rerum meditatione memoriam confirmant. Hoc ego possum asseuerare pueros esse præstantissima memoria: etenim cùm essem natus annos ferè octo aut decem, longè minori opera commendare poteram memorię perfectam Ciceronis orationē, quàm nunc anno ætatis meæ trigesimo vnam lineam. Itaque mirum est Aristotelem statuisse, pueros obliuiosos & immemores, etenim sunt tātummodò obliuiosi quoniā leuiter omnia animo cernunt, & intuentur: quòd si paulò diligentiori meditatione introspicerent rem quam intelligunt, tam firmam rei memoriam compræhendant, vt deinceps toto vitæ suæ tēpore nunquam sint obliuioni daturi.

2 Senes non sunt obliuiosi ob decessionē, vt Aristoteli videtur, sed potiùs quia sunt & virib⁹ & mēte imbecilla ob eorum calorem naturalem penitus ferè extinctū: neq; dant operam accuratæ rerū perceptioni: neq; possunt res animo pspectas diù multūq; repetere, quare fiunt obliuiosi, & immemores.

Itéque ij qui nimis acuto & qui tardo ingenio ſunt, non valent memoria, propterea quòd humidiores ſunt quàm deceat, hi duriores. In nonnullorum igitur animis non manet rei ſpecies, in aliorum non inſidet, nec imprimitur.

1 Falſò arbitratur Ariſtoteles acuto ingenio præditos homines non valere memoria, quoniam humidiorês cùm ſint, in iis rei animo informatæ ſpecies non manet. Etenim conſtat inter omnes philoſophos humidum, torporem ſenſibus inferre, deinde efficere homines ſomnolétos, atque ſtupidos. Itaque cur humidiores ſunt, qui ingenio pollent? Siquidē humefacto cerebro mens ſopita obdormire & vacare ab omni officio cogitur. Quapropter hęc Ariſtotelis opinio expilodatur neceſſe eſt: nam pituitoſi homines cæteris ingenio præſtarent, & qui maiore dormiendi ſtudio rapiuntur, quamuis omnibus ſit in confeſſo, ſiccos homines, vt melancholicos, vt bilioſos cęteris omnium gentium hominibus ingenij acrimonia anteferri. Similiter qui vix vllum ſomnum capere poſſunt, valent ingenio, in iis enim ſpiritus tenuiores & magis puri exiſtūt, & qui ob ſiccitatem non debilitanturceleriter. Verùm vt eò quò digreſſa eſt, noſtra reuertatur oratio, ſcito homines acuto ingenio præditos, quia leuiter rerū percepta animo informatione ſatiantur, neque lōgo cultu recolendo rem animo perceptā repetunt, non valere memoria.

2 Tardi homines non pollent memoria (etsi aliter sentiat Aristoteles) quia contenta mẽtis acie neque cernere, neque animo intueri possunt. Etenim quo modo id quod non intelligunt, memoriæ poterũt commẽdare? Proinde vt rerum ignoratione, sic obliuione laborant.

Sed hoc loco quæri potest, si in memoria hæc omnia cernantur, vtrùm hanc ipsam affectionem memoria teneamus, ánne illud à quo nata sit. Si enim hanc, nihil eorum quæ absunt memoriæ mandabimus. Sin illud quî tandem hanc sentiendo, in mentem nobis veniat, illud quod abest quódque sensu non percipimus.

1 Priusquam declaret ea quæ non adsunt, tantummodo in mentem venire, vocat in dubitationem ea quæ memoria licet comprahendere: nam si res animo perspectæ relinquant in nobis quandam affectionem, vtrùm eam affectionem quæ adest in animis nostris, memoriæ commendemus, an subiectum à quo hæc affectio profecta in animos nostros immigrauit?

2 Illud subiectum, quod neque in nobis est, neque sensus nostros afficit, quemadmodum ea affectio quæ à subiecto nata est.

Ac si est quasi forma & pictura in nobis, cur quæso, huius ipsius sensus erit alterius memoria, non huius ipsius

Qui enim in opere versatur hanc affectionem memoria re petit & contemplatur, & hanc ipsam sentit.

1 Probat memoriam non cōpræhendere res quę pręteritę sunt, nam qui aliquid in memoriam reuocant, sentiunt affectionem eam, quam picturę supe riùs assimilauit. Nos verò arti qua manus instruitur similem esse diximus. Cur ergo memoria nō est po tiùs huius affectionis, quàm obiecti à quo hæc affe ctio nata est? Etenim quibus memoria in actione occupatur, & hanc affectionem sentiunt, & cōtem plantur, non autem obiectum à quo hæc affectio profecta est.

Quoniam igitur pacto rem absentem memoriam com plectitur? Hoc enim pacto & cernerę licebit id quod nō adest, & audire.

1 Aliter ostendit res præteritas nō teneri memoria, nam quemadmodum sensus exteriores nō mouet, neque afficit id quod abest, similiter memoria nihil quod abest repetit.

An fieri potest vt hoc etiam accidat? Vt enim depictū in tabula animal, & animal est & simulacrum, & vnum est vtrumque, sed non est eadem vtriusque ratio & natura, licétque illud ipsum & vt animal & vt simulacrum considerare, sic & speciem illam quæ in nobis est ex i

ſtimare debemus, & per ſe aliquam eſſe notitiam, & alterius rei ſpeciem. Quatenus igitur per ſe conſideratur, notio eſt vel viſio, quatenus autem alterius eſt, illius ſimulacrũ & monumentum. Itaque cùm eius motio in actione occupatur, ſi quatenus per ſe eſt, eatenus animus ſentiat, quaſi notionem quandam, aut viſum videtur tractare: ſin quatenus ad aliud refertur, tanquam in pictura, ſimulacrum intuetur, vt quaſi Coriſcum quem non viderit, animo intueatur, tũ verò alia eſt huius cognitionis ratio, alia cùm vt animal depictum conſiderat, in animóque hoc quaſi notio tantummodo, illud autem vt illic ſimulacrum, memoria dicitur.

1 Nunc Ariſtoteles tam clarè loquitur, vt iam illuſtrandus non ſit, affectio ea quę à rebus ſubiectis in animos noſtros immigrauit, duobus modis ſpectari poteſt, vel ſuapte vi, & vocatur idea, ſiue notio vel facta comparatione cum ſubiecto à quo nata eſt, & ſimilis eſt depicto animali, nam quemadmodum animal depictum ſi per ſe æſtimemus, eſt duntaxat color & pictura: ſimiliter ea affectio eſt ſolùm notio, ſi de ſe & ſua vi tantummodo ſpectetur. Prę terea animal depictum ſi comparemus cum rebus, quarum ſimilitudinem gerit, animal eſſe iudicamus & quaſi ſimulacrum animalis, pari ratione ea mentis affectio quæ ab obiectis hauſta eſt, ſi conferatur cum rebus, à quibus profecta eſt, præ ſe fert res eaſdem, quoniam omni ex parte eis aſſimilatur veluti

qui animo intuetur affectionem eam quæ à Corisco in animos nostros immigrauerit, videtur Corisc cũ cernere, quia planè similis est Corisco affectio. Proinde memoria dicitur cum affectionem quæ in est in animis nostris consideramus non per se, sed comparatam cum rebus subiectis, à quibus nata est.
2 Ex hoc loco non licet efficere mentem rerum perceptione informari, quemadmodum res prædita colore variis coloribus tingitur, hoc enim superi ùs explosimus: sed rerum notiones in animis nostris, picturis assimilantur, non quòd insint in animis nostris tanquam picturæ, hoc enim falsum est, sed quia quemadmodum depictum animal est simi le animali viuo, sic rei notio est omnino par & simi lis rei subiectæ à qua profecta est.

Ob eámque causam interdum nescimus, cùm in animo existunt huiusmodi motiones, à sensibus primùm haustæ, sintne ortæ à sensibus, interdúmque vtrum memoria sit nécne, dubitamus.

1 Exponit rationẽ cur quę aliquando audiuimus, si iterum audiamus, nos reddant ancipites, vtrùm à sensibus priùs hausta sint, an ea memoria repetamus, quoniam tanta similitudine accedunt rebus subiectis à quibus nata sunt, vt hæreamus vtrùm sensuum iudicium sit tam acre & certum,

vt ei nihil desit ad perceptionem rerum, an accurata mentis acie tãtam rei subiectæ similitudinem animo informauerimus.

2 Quoniã dubitamus vtrùm à sensibus priùs orta sint, similiter vocamus in quæstionem, vtrùm ea memoria teneamus nam superiùs confirmauit memoriæ tantummodo commendari ea, quæ à sensibus hausta sunt.

Fit etiam interdum vt ita cogitemus, aut nobis veniat in mentem, quòd id antea audierimus, aut viderimus, idque tum demum vsuuenit cùm quis rem per se ac solam spectans, ad aliam transfert & accommodat.

1 Nonnunquã id quod intuemur oculis, vidimus & nos priùs id vidisse memoria teneamus, vt cùm affectionẽ quæ nunc in animos nostros immigrat, imprimitúrque, comparamus cum motione ea quę iampridem inest in mentibus nostris.

Contráque fit nonnũquam quemadmodum Antipheronti Oritæ contigit, aliisque quorummens è sua sede dimota est. Quæ enim eorum animis per visum obiecta sunt, ita commemorant, quasi gesta sint & illis in mentem veniãt: quod tum contingit, cùm quis id quod non est rei simulacrum, vt speciem rei & simulacrum intuetur.

1 Ostendit quomodo amentes plerunque com-

miniſcantur id,quod procul ab omni veritate abeſt quando inquit,ſibi ponunt ob oculos non verum rei ſimulacrum,quod quidẽ animo cernunt, & intuentur tanquam veram rei ſpeciem & ſimulacrũ.

Cogitatio autem & meditatio memoriam conſeruant recolendo, quod aliud eſt nihil,niſi crebrò intueri rem aliquam non per ſe,ſed quatenus alterius ſimulacrum.

1 Nunc ſcitè admodum declarat quomodo memoria imbecillis confirmãda ſit ex longo cultu & crebra rerum meditatione.Propterea mirũ eſt non nullos ſibi adhibere medicamenta ad firmandã cõſeruandámque memoriã.Quoſdam noui ego, qui ex eorum vſu,planè fatui exſtiterunt. Exiſtimo autem tria potiſsimum fidelem & ſingularẽ gignere memoriam:acris rerum meditatio cogitatióue,earum deinde plena cognitio,poſtremò ſępe recolere & repetere ea quæ animo percepta ſunt.

Ac memoria quidem quid ſit,quid meminiſſe, dictum eſt,id eſt , viſionis quatenus ſimulacrum eſt eius rei cuiꝰ eſt viſio,habitum.

1 Breui cõplectitur cumulatam omnibus ſuis partibus memoriæ definitionem,eſt,inquit,habitus, ſiue proprietas quemadmodum aptum eſſe ad ridendum in homines conuenit: ſiquidem proprietates

numerātur in cathegoria qualitatis, cuius primū genus eſt habitus, qui quidē ꝓprietates cōtinet. Cùm autem natura nihil quod non vndique perfectum ſit moliatur, tribuit viſioni & menti proprietatem conſeruandi id quod perceperunt, quam memoriam vocamus.

2 Memoria beluarum eſt viſionis habitus, at hominū memoria eſt habitus mentis ſiue intelligentię nam Ariſtoteles falsò non ſeiungit memoriam hominum à beluis.

Diximus etiam qua in parte animi ſita ſit, id eſt in ea qua prima ſenſus eſt ſedes, quáque temporis ſenſum habemus.

1 Eo errore Ariſtoteles impellitur, quem ſuperiùs refutauimus, memoriā hominū non diſtingui à beluis, ꝙ ab omni veritate alienū eſſe nemo ambigit.

Caput ſecundum.

Reliquum eſt, vt de recordatione dicamus.

1 Cùm ſuperiùs magno & inexplicabili impeditus errore non diſtingueret memoriam hominū à beluis, nunc comminiſcitur vim quandā recordandi, quā in ſolos homines cadere exiſtimat, aliter enim homines eoſdem ferè poſuiſſet cum beluis, illis ſubſcribens, qui putant beſtias vti ratione abdita, &

quam nulla oratione possunt eloqui. Proinde paucis audiamus quid sit recordatio.

Principio ea omnia quæ in Epicherématis, id est rationibus quibus vtranque in partem disputatur, vera sunt, ponenda sunt vt vera.

1 Epicheremata puto eo esse libros, qui problemata physica continent, nam ibi agitur vtrinque de rebus physicis.

Neque enim recordatio memoriæ repetitio, aut susceptio est. Nam cùm primùm aut discit quis, aut animo affectionem suscipit, nec memoriam vllam repetit (nulla enim antecessit) nec ab initio percipit.

1 Nunc separat recordationẽ à memoria & à prima rerum perceptione, quam vocat susceptionem.
2 Primùm seiungit susceptionem siue primam rerum cognitionem quam combibimus, à recordatione, nam qui prima rerum cognitione instruitur aut discendo præceptorum opera, aut suo duntaxat labore animo affectionem suscipiens, quam res subiectę in animis nostris imprimunt, nec memoriam rei repetit, nec ab initio percipit in se affectionem eam extitisse, vt qui recordatur. Etenim qui recordatur & percipit se aliquando perspexisse rẽ eã, cuius recordatur, neque omni ex parte

eam dedit obliuioni, proinde memoriā repetit, & ab initio percipit in se exstitisse, non autem qui primò rerum cognitionem suscipit.

3 Quando mens prima rerum cognitione informatur, aut suscipit, nulla antecessit earum in animis nostris affectio.

Cum verò habitus iam susceptus est, aut motus animi, tum denique memoria est. Ex quo efficitur, eam cum motu animi qui oritur minimè oriri atque gigni.

1 Hoc loco videtur distinguere cùm memoriam tum recordationem à prima rerum perceptione, nā memoria & recordatio nascuntur quando iampridem res animo percepta est, & versantur in rebus præteritis: at prima rerum susceptio in iis quæ adsunt, consistit.

Præterea cùm primùm facta est motio in vltimo illo in diuiduóque temporis puncto, iam inest in patiente affectio & scientia (si modo habitus aut motus animi scientiæ nomine appellandus est).

1 Iam declarat quando aliquis rerum cognitione potest dici prædit⁹: quod vt intelligatur, necesse est scire ea quæ libro sexto Physicorum multis rationibus effecit, motum fieri quidē in tempore, sed factum esse in instanti. Cùm ergo mens quodā velu-

ti motu agitetur, vt res intelligat, ea motio in instanti desinet. Proinde in eodem instanti scientia rei animo percepta instructus dicitur, non autem in tépore quo informat discítque res sibi propositas.

Nihil autem prohibet, nos nonnullorum etiam, aliena quidem ui memoriam habere, quæ sciamus, cùm interim memoria per sese non inest, antequàm longinquitate temporis confirmata sit.

1 Docet quomodo ea quæ adsunt memoriæ mādemus, vi enim aliena & per accidens rei præsentis memoriam compræhendimus, quoniā ea aliquando intelleximus, quæ nunc intelligimus, tamen memoria per se & sua vi est rerum præteritarum.
2 Nonnullorum quæ præsentia sunt, memoriam habemus aliena vi, quòd ea aliquādo perspexerimꝰ.

Meminit enim vnusquisque hoc tempore, quod antea intellexit, & mente percepit: non quod modò animo percepit, nunc meminit.

1 Docet memoriā versari in rebus præteritis, nā non meminit quis quod nunc percipit, sed quod iā intellexit & percepit.

Hoc etiam perspicuū est, fieri posse vt is meminerit, qui non hoc tempore recordetur: si ab initio sensu motúue animi fuerit affectus.

1 Separat recordationē à memoria nā memoria tenemus ea quæ ꝑspexim⁹ aliquādo, neq; sunt vllo modo ex nostris mētibus deleta, at recordatio eorū est solùm quæ cùm intelleximus, tamen quodā modo ex mentibus nostris effluxerunt.

At cùm animo quis repetit eam, qua prius præditus fuerit, scientiam vel sensum, aut id cuius habitum memoriam diximus, tum denique & hoc ipsum est aliquid eorum quæ dicta sunt, recordari.

1 Quid sit recordatio definitione explicat, est autem repetita memoria rei, quæ sit quodam modo ex mentibus nostris deleta, at memoria eorum est quę nullo modo ex nostris animis effluxerūt. Hæc Aristotelis opinio tā ꝓcul ab omni veritate abest, vt omni ex parte mihi videatur refutatione digna: etenim recordatio, reminiscentia, memoria eandē animi vim & facultatem prorsus declarant. Puto ego Aristotelem ob id ipsum seiunxisse recordationē à memoria, quòd cùm perspiceret esse valde impiū homines memoria à beluis non distingui, hanc recordandi vim solis accommodauit hominibus. Est autē recordatio, si Aristoteli fidem habeamus, memoria coniuncta cum obliuone, siquidem scribit, recordationem esse repetitā memoriā rei quodam modo oblitæ: atqui nemo est qui perspiciat, quo pacto copulari possint memoria & obliuio, vt

tertiam animi facultatem fingant. Si quis autẽ obiiciat, recordationem esse repetitionẽ memoriæ rei, quę aliquaten⁹ ex animis nostris effluxerit, verùm cum ratiocinatione adhibita, etenim ratiocinando vis recordandi ex eo quod nondum deletũ est, assequitur, repetítque id quod iam effluxerat: at memoria nulla ratiocinatione vtitur, idcirco permultũ interest inter memoriã & recordationem Quòd si hac ratione Aristotelem excusemus, aliud nihil erit recordatio, præterquam quædam animi facultas cumulata ex multis aliis animi viribus: nam recordatio erit conflata ex memoria eius, quod nondum abest, neque oblitum est, deinde ex ratiocinatione, quæ percontabitur omni argumentatione adhibita id, quod iã effluxit: sed hoc nihil aliud est quàm vires animi confundere. Etenim vis ea animi quæ ratiocinatur, constat inuentione & iudicio, quæ longo admodum interuallo à memoria discrepant. Cur ergo Aristoteles coniúnxerit memoriã cum ratiocinatione vt nasceretur recordatio, hac tenùs non potui intelligere.

2 Sensum animi audiendum est, quod quidem superiùs vocauit scientiam.

Accedit tamen vt recordatio memoriam, & recordari id quod est meminisse consequatur.

1 Facultas recordandi quæ constat memoria eius quod nondum obliti sumus,& ratiocinatione quę adhibetur ad intelligendum id quod iã effluxit, sequitur,inquit,memoriam rei quam priùs plenã habuimus.

Neque verò illa omninò ac planè,si prius in animo fuerint rursus oriuntur: interdúmque ita est,interdũ non est.

1 Distinguit inuentionem & primam rerum cognitionem à recordatione, nã recordamur ea quæ priùs in animis nostris exstiterunt,neque præterea omninò deleta sunt,at quæ primùm cognoscimus, nullo modo existunt in nobis.

2 Quæ recordamur, ait, non oriuntur omninò quia in animo priùs fuerunt quàm recordemur,nõ autem quæ primò discimus aut cognoscimus.

3 Videlicet quando nunquam in animo fuerunt omninò nascuntur,neque tum demùm fit recordatio,sed scientia & cognitio rei.

4 Interdum inquit,non oriuntur omninò ac planè siquidem ea aliquando percepimus,neque dedimus obliuioni nisi quadam ex parte,& dicimur recordari.

Fieri enim potest, vt idem eandem rem bis discat & inueniat.

1 Recordari & diſcere ob idipſum conueniunt, quoniam bis diſcere & recordari eadem poſſumus ſed diſcimus quando ſunt omnino deleta ex noſtris animis: recordamur verò cùm effluxerunt ſolùm aliqua ex parte.

Differat igitur ab iis recordari neceſſe eſt: vt maiora in ſint rei principia in reminiſcẽdo quàm in diſcẽdo oportet.

1 Aliter diſtinguit recordari & diſcere nam quęcunque diſcimus omnino noua in noſtros animos immigrant, at quæ recordamur quodã modo iam inſunt in animo.

Recordatio autem tum denique accidit & efficitur, cũ motus animi eam vim habet, vt alterum cõſequatur: ſi neceſſariò, hoc perſpicuum eſt, cum ille pulſus eſt, fore vt hîc etiam ſit: ſi non neceſſariò, ſed conſuetudine, fore vt plerunque moueatur.



1 Nũc exponit quo pacto fiat recordatio, vbi Ariſtoteles videtur ſcienter admodùm illuſtrare facultatem ratiocinandi, quam in Dialecticis eſt perſequutus. Fit autem, ait, ratiocinatio, quã partem ſuę recordationis ſtatuit, quũ ex adhibita re vna, vt argumento, aliud efficimus, idque duobus modis, vel neceſſariò, vt argumẽtationib⁹ quæ neceſſariò cõcludunt, vel vt plurimũ, vt argumẽtationibus quæ

nihil necessariò inferunt.

Fit autem interdum vt nonulli semel commoti faciliùs, quàm alij sæpe, assuescant.

1 Hìc Aristoteles non de memoria, sed de ea animi parte quæ ratiocinatur disputat: homines ingenij celeritate præditi, faciliùs & minore opera ratiocinando repetunt id quod in eorum animis aliquãdo impressum fuit: quàm tardi:

Itaque cùm nonnullas res semel aspeximus, firmior & constantior earum in nobis memoria manet, quàm aliarũ, quas crebro aspectu consideravimus.

1 Diximus superiore capite ea venire in mentem faciliùs quæ acriter & sedulò animo cernuntur, q̃ quæ leuiter tantùm consideramus, idem nunc scriptum relinquit.

2 Neque acriter intuemur.

Ergo cùm recordamur, eatenus à prioribus quibusdam motibus permouemur, quoad ab aliquo animi motu pellamur, quem ille sequi solet.

1 Hæc neque ad memoriam neque ad recordationem spectant, sed ad ratiocinandi vim, quę inuenit & vndique exquirit argumenta, ex quibus id

efficiat,quod vult,mens enim ſecum reputans quo pacto plenam rerum perceptionem imbuat & informet,cumulat argumenta quæ id concludant, de quo agitur,propterea quæ Ariſtoteles his litteris recordationi accõmodat, nos in facultatem ratiocinandi conuenire cenſemus.

Itaque id quod deinceps ſequitur,ex re quæ praſtò eſt, aut ex aliqua alia,aut ex ſimili,aut contraria, aut etiam finitima inueſtigamus & perſequimur, ex eóque recordatio exiſtit.

1 Quæ nunc exponit Ariſtoteles pertinent ad facultatem ratiocinandi, quæ quidem multiplici argumentorum genere vtitur,vt iis quę eruũtur à ſimilitudinib⁹, à cõtrariis,& vt audies in dialecticis.

Quarundem enim rerum ex his,motus iidem ſunt,aliarum eodem tempore oriuntur,nonnullarum alter alterius partem habent,ita vt quod reſtat, per exiguum ſit,cuius pulſus poſt illum ſequitur. Atque hoc quidem modo homines quærendo recordari ſolent.

1 Scienter admodum declarat qua ſimilitudinis ratione argumenta concluſionibus accedant, nam interdum eadem fere ſunt cum eo,quod efficimus, vt ea quę à coniugatis & à definitionibus eliciuntur

2 Interdum argumenta & concluſiones eodem tempore intelligũtur, veluti perſpecta definitione

ſtatim innoteſcit id quod definitione explicatur.
3 Alia argumenta ſunt quodam modo eadem cũ concluſione, & quodam modo ab ea diſcrepant.
4 Non ſolent homines ſic recordari, neque meminiſſe, ſed potius ita ex ratiocinationibus hauriũt eliciúntque perfectam rei cognitionem, qua volũt inſtrui.

Alio autem modo etiam ſolent, abſque illa inueſtigatione reminiſci, cùm alterum ſtatim motum ſequitur recordatio. Sed ferè antegreſſis multis motibus quos diximus, exiſtere ſolet recordatio.

1 Omnia quę recordationi conuenire ſcribit Ariſtoteles, in facultatem ratiocinandi cadere nemo ambigit, ſiquidem impulſiones illæ mentis mutæ, quibus incitatur ad inueſtigandum id quod ex noſtris animis deletum eſt, quid aliud eſſe poſſunt prę terquàm facultas ea mentis quę valet ad ratiocinandum? Hæc autem aut multis agitatur motionibus, vt cùm ratiocinamur ex numeratione partium, vel mẽs quando cumulat multas argumentationes ex quib⁹ efficiat & illuſtret id de quo diſſeritur, nõnũquam vna duntaxat impulſione ſatiata ſubinde incidit in id quod quæritur. Siquidem huiuſmodi animi motiones quas recordationi Ariſtoteles attribuit, aliud nihil ſunt præterquam vis quædam mentis quæ verſatur in exquirendis argumentis, quæ con-

eludant id quod vult.
2 Inuêtio non est recordationis, neque memorię, sed facultas ratiocinandi pars.

Nihil autem attinet considerare quonam modo rerum remotarum memoriam comprahendamus, sed satis est finitimarum.

1 Nunc prætermissa ratiocinatione de memoria agit, licet, ait, eodem modo memoria tenere cũ finitima siue quæ parum discrepant, tum remota & ea inter quæ multò plus interest, nam certo quæque ordine digesta facilè memoriæ mandamus.

Perspicuum est enim, eandem rationem esse, qua omnes ea commemorãt qua ordine quodam consequuntur, cum nec inuestigatio vlla, nec recordatio in eis antegressa sit.

1 Memoria, inquit, quæ nec inuentione nec recordatione vtitur & quam superiore capite perlustrauit, omnia rerum genera facilè conseruat quę certo ordine constant, siue inter ea multùm intersit, siue sint ferè eadẽ: ac si vellet Aristoteles declarare præscriptum certúmque rerum ordinem plurimũ posse in recordando.

Consuetudine enim motus animi alij alios, vt hic illum sequuntur.

1 Reddit rationem, cur ordo plurimùm possit in firmanda memoria, nam ea quæ certo ordine constât, sunt viciniora rebus naturalibus, quàm ea quę nullo aut incerto ordine collocantur, at plurimùm valet ad recordandum, naturam sequi, aut consuetudinem, est enim cõsuetudo altera ferè natura, verùm mentibus nostris naturale est, & in consuetudine positum sequi certum rerum ordinem. Idcirco magnam vim habet destinatus certúsque rerum ordo, vt earum firmam singularemque memoriam compræhendamus.

Cùm ergo recordari vult vnusquisque, hoc faciet, quærétque quemadmodum principium motus animi reperire poßit, quem ille consequatur.

1 Satis supérque adhuc illustrauimus, Aristotelis recordationẽ non distingui à ratiocinatione. Proinde nunc exponit certum rerum ordinẽ magnam habere vim ad ratiocinandum, qui scite admodum ratiocinari vult, aut quidquam memoriæ commendare, primo, inquit, necesse est collocet omnia in suo quæque ordine, vt principium prius incurrat, cui medium subsit, deinde finis.

Itaque celerrimè, atque præclarißimè ducuntur à principio recordationes. Quam enim res inter se habent ordinis rationem, eandem etiam motus animi habent.

1 Approbat multùm in ratiocinando & recordãdo certum rerum ordinem ſequi, nam & euidentiùs, & celeriùs ratiocinando efficimus id quod volumus, ſi à principio incipiam⁹, ſimiliter memoria facili⁹ & citi⁹ cuſtodit eã, q̃ certo ordine digerũtur.
2 Exponit ordinem quo ſenſa animi in mentibus noſtris inſunt, nam quemadmodum res à quibus ſenſa animi hauriuntur ſunt diſpoſitæ & diſpenſatæ, pari ordine collocantur in mentibus noſtris ſenſa animi, quæ à rebus naſcuntur.

Quædámque facilè memoria comprehendi poſſunt, ea quæ ordine quodam conſtant, cuiuſmodi ſunt diſciplinæ atque artes: alia perdifficiliter.

1 Probat certum rerum ordinẽ plurimùm poſſe in recordãdo, nã artes & diſciplinæ quę certo ordine tractã tur, faciliùs in mentẽ veniũt, at quę nullo ordine diſponuntur, vix memoria cõpræhẽdimus.

Hoc etiam recordari ab iterum diſcendo differt, quòd cùm recordatur homo, quodammodo poteſt per ſe moueri ad ea quæ principium ſequuntur, cùm non poteſt per ſe, ſed aliena vi & ope eget, non iam meminit.
1 Memoriam diſiungit ab iterata cognitione quã præceptoris opera aſſequimur, nam memoria rerum omnium cuſtos, non eget præceptoris ope, vt iterata rerum perceptio.

2 Loco recordationis intellige ſemper his literis ratiocinandi vim, quæ quidem adhibitis primis rationibus quidquid eſt deinceps, concludit.
3 Si eget ope præceptoris, non dicitur meminiſſe, ſed diſcere.

Plerũque iam non poteſt ille quidem recordari, ſed tamen quærere poteſt, & inuenit; quod iis vſuuenit potiſsimum, qui multa mouent & agunt, dum ad eum motum perueniant, quem res ipſa conſequatur. Meminiſſe enim eſt ineſſe vim quæ moueat, idque ita, vt à ſeipſo iiſque impulſionibus, quas in ſe habet, moueatur.

1 Hæc omnia ſcitè & conuenienter in ratiocinandi vim incidunt, quæ ex inuento argumento efficit id quod vult, propterea declarat eos qui & ratiocinandi vi, & inuentione præſtant. Quorum enim mẽs multis impulſionibus agitatur, & qui inſomnẽ vitam ferè degunt, illi pollent ingenio atque inuentione. Quare mirum eſt ſuperiore capite Ariſtotelem poſuiſſe celeritatem ingenij in cerebro humido & ſomnolento, nam humidum & ſomni cauſa eſt, & motiones impedit.
2 Diſtinguit memoriam à ſcientia quam præceptoris ope comparamus, nam memoriã id quod in ſe eſt conſeruat, at ſcientia, qua nos pręceptores inſtruunt, neque ineſt in animis noſtris, & alterius opera conciliatur.

Sed exordium capiendum est.

1 Vt celeriter res omnes memoriæ cōmendemus, oportet ſumere principium ab eo, quod primam ſedem tenet, nam ſuperiùs docuimus certum rerum ordinem plurimùm valere ad recordandum.

Itaque ex locorum notis recordari interdū videtur: cuius cauſa eſt, quòd citò ex alio aliud ei incidit, vt ex lacte in candorem progreditur, ex candore in aëra, & ab hoc in humorem, ex quo ei autumni in mentem venit, cùm hoc tempus exquireret.

1 Declarat quo pacto ratiocinatio conſtet argumentis, quæ ab adiunctis, & à ſimili eruuntur, neq; enim exiſtimandum eſt quæſtionem aliter explicari poſſe, preterquam ratiocinando: veluti ſi quæratur autumnus, hæc quæſtio explicabitur argumento ab adiunctis, & à ſimili: primùm enim ex candore lactis aëra in memoriam reuocabimus, nam lumen aëris, candorem lactis imitatur: quare eo ipſo ſimilia ſunt aër & lac. Deinde aëre perſpecto & cognito: ſubinde in autumnum deſcendemus, quia aër & autumnus humore aſſimilantur, incidebat verò in quæſtionē vtrùm autūnus ſit humidus, quod argumento à ſimilibus explicatum eſt: neque arbitrandum eſt huiuſmodi ratiocinationes eſſe opus memoriæ. Nam in ratiocinando hac ratione inuen

tio & iudicium præcipuam vim habent, quæ non memoriæ sed facultati ratiocinandi concedimus.
2 Exquirere pertinet ad facultatẽ ratiocinãdi, non autem ad memoriam, neque ad recordationem.

Videtur autem vt id quod generale est semel comprehendam, id quod in medio loco est, principium esse omnium.

1 Repetit ea quę in dialecticis est persequutus, vim ratiocinandi ex verbo medio concludere id quod vult, nam quia mediam quandam naturam obtinet inter sensa animi quæ nõdum ex mentibus nostris effluxerunt, & ea quæ iam obliuioni dedimus, statim ratiocinatione adhibita repetit efficiẽtque id ꝙ vult. Ergo verbum medium est principium in omni ratiocinatione.

Si enim antea non meminerat, ei, cùm ad illud peruenerit, memoria rei se offeret, aut certè nunquam, & nulla alia iã re admonebitur, vt si quis ea animo percurrat, quæ ordine quodam his literis A B C D E F G H significantur: nec cum ad E peruenerit, & in mentem veniat, certè ei veniet in mentem cum ad H peruenerit. Hinc enim ad vtrumque, & ad D & ad E moueri atque impelli potest.

1 Argumẽto adhibito, cuius præcipua vis in verbo medio posita est, nisi reuocet in memoriã quod

iam effluxit,& dedit obliuioni, certè nunquam poterit repetere id,quod vult.

2 Exemplo facili id quod diximus illustrat, velut si quis dederit obliuioni conclusionem hác , omne D est E,iam inuestigandum erit verbum medium, vt H,quo adhibito efficiet omne D esse E,at E nõ potest fungi officio verbi medij.

3 Ex perspecto verbo medio impellitur , cùm ad D,tum ad E,nam vtriusque naturæ accedit.

Quòd si neutrum horũ quærebat,cum ad C peruenerit, ei in mentem veniet,si modo G vel F quærebat,sin minus cum ad A peruenerit,eodémque modo semper.

1 Si occurrat alia quæstio in memoriam reuocanda,quàm priùs animo percepit,sicuti omne G est F subinde adhibendum exquirendúmque erit verbũ medium,vt C, vel A , ex quo concludere liceat omne G esse F.

2 Semper omnis ratiocinatio tùm muta & delitescens, quam nunc intelligit , tum ea quam oratio explicat & aperta,constat argumentis quę efficiant id de quo disputatur.

Cur autem ex eodẽ animi motu interdum id quod quæritur, veniat in mentem,interdum non veniat, causa est, quòd fieri potest,vt ab eodem principio ad plura, veluti à C ad F aut D moueamur.

1 Ex eodem argumento multas conclusiones cõfirmare possumus, diuersis tamen rationibus.

Proinde si à veteribus quibusdam simulacris non moueatur, ad id quod consuetudine factum est, illi familiarius transfertur: est enim quasi natura iam consuetudo.

1 Nonnulla nobis in mentem veniunt faciliùs cęteris rebus omnibus, vt quæ longus vsus in nobis confirmauit, nã argumenta quibus mens solet non nullas conclusiones probare, etsi alias conclusiones efficere possent, tamen ea accommodat conclusionibus, quas ex eis consueuit probare.

2 Nam quemadmodum naturale vix euellitur, similiter quæ longo rerum vsu & cõsuetudine inueterarunt, difficiliter admodum possunt tolli.

Itaque facilè eorum recordamur, quæ sæpe cogitamus. Vt enim natura hæc res illam consequitur, sic rerum actiones atque frequens vsus naturam facit.

1 Nã ea quæ sæpe cogitamus, vsus in nobis firmauit longáque eorũ consuetudo: proinde vix ex nostris mentibus distrahuntur, & facilè in mentẽ veniunt.

2 Eadem ratione & res, & earum actiones memoria compræhendimus, eodem enim ordine dispensantur & disponũtur cùm res tũ actiones quę à re-

bus natæ ſunt:deinde qua ſimilitudine res inter ſe cohærent,eodem modo coniunguntur atque coeunt rerum actiones.

Quoniam autem quod in iis contingit quæ natura constant,& quod eſt contra naturam,& quod fortè fortuna id multò etiam magis in iis reperitur,in quibus valet conſuetudo,quibus natura quidem non eodem modo conuenit fit vt interdum & illuc,& aliò delabamur,quod tū vſu uenit maximè,cùm à certo quodam initio aliò quouis animo rapimur.ob eámque cauſam,cùm nomen ex memoria depromendum eſt, ſimile quidem depromimus ſed tamen non in illud incidentes,ſolœciſmum committimus ac recordatio quidem ita fieri ſolet.

1 Oſtendit quomodo vis ea quę ad ratiocinandū valet,ſuo fine fallitur,velut quando adhibet rationes communes diuerſis concluſionibus , nam facilè mentem huc & illuc diſtrahunt. Quemadmodū inquit,natura cum fingit & molitur portenta monſtroſa decipitur, ſic vis ea animi quæ ratiocinatur, quandoque non efficit id quod vult.

2 Mirum eſt Ariſtotelem libro ſecundo de Natura aut de Rerum Principiis,tantis difficultatibus fuiſſe impeditū vt coactus ſit inducere caſum & fortunam portentorum cauſas:quippe cum multis rationibus eos vrgeat in libris de Cœlo,qui negāt cœlorum vim omnibus inferioribus præeſſe:at in cœ-

lo nihil est varium nihílque mutabile, sed omnia firma & immutabili æternitate constant. Deinde nón ne Deus optimus maximus autor est omnium rerum? In Deo autẽ nihil est incertũ, nihílque multiplex: quo pacto igitur casum & fortunam in causis rerum inferiorum numeremus, nõ possum perspicere. Itaque mihi videtur eorum opinio prę̨stantior esse, qui putant Deum omnia moliri & fingere tum monstra tum quę monstrosa nõ sunt, quorùm causam cùm aliam non habeamus, quæ Deo anteponenda sit, nihil opus est comminisci ea, quæ sunt fortuita, neque enim potuit quis adhuc abditas rerum causas intelligere. Tollantur ergo cultus omnes, quos antiqui fortunæ adhibebant, prosternentur sacra ædificia quæ fortunæ tanquam Deę constructa sunt: quandoquidem nihil est in rebus fortuitum nihílque temerarium, sed omnia deorum muneribus constant.

3 Neque memoria neque recordatio fallũtur, sed sola mens, vt cùm putat memoria inesse id, quod non inest.

Quod autem hoc loco plurimùm potest, tempus, cognoscendum est, vel mensura certa adhibita, vel incerta. Sit igitur aliquid quo diuturnũ à breuiore intirnoscamus, atque id consentaneum est, quemadmodũ aliquid est quo magnitudines distinguimus.

1 Quoniam nonnulla breuitate & longitudine di-

ſtant partes vt temporis & magnitudinis, iam declarat quo modo eadem mente cernãtur & breuia & ea quæ longitudine præſtant.

2 Menſura certa temporis vt certus dierum, horarum, & annorum numerus.

3 Mẽs vna percipit & breue & diuturnũ tempus, atque vtrumque diſtinguit.

4 Videlicet mens vna, quæ cernit, & diſiũgit cùm breues magnitudines, tum longas.

Intelligit autẽ illud res magnas, & quæ procul abſunt, non aciem animi foras intendendo, vt oculorum aciem nõ nulli confirmant, (etenim ſi res nullæ ſint, eodem modo intelligit) ſed certæ cuiuſdam rationis impulſu, quandoquidem in eo ſunt ſimiles rebus ipſis figuræ atque motiones.

1 Plato autor eſt in Timæo, cui ſubſcribit Galenus libro ſeptimo, de Decretis Platonis & Hippocratis, colores oculis intueri extramittẽdo vim quãdam aſpectus, radiorum ſolis non longè diſſimilem hoc autem Ariſtoteles refutat libro de Sẽſibus, ſcribit enim oculos colorum ſpeciem & quaſi ſimulacrum recipere inſtar ſpeculi, neque extramittere quidquam vt colorum varietatem cernere poſſint. Vtraque tamen opinio tam ancipiti dubitatione impeditur, vt quæ earum ſit probabilior, per quam difficile ſit perſpicere: niſi forte Ariſtoteli aſſentiamur vix enim fieri poteſt, vt

ex oculis tam repente vis aſpiciendi effluat feratúrque in res quæ tam procul abſunt. Itaque quemadmodum oculus colores intuetur capiendo: pari ratione mens certa quadã vi abdita & deorum munere conceſſa hominibus, omnia contemplatur, & intelligit non extra mittendo quicquam in ea quæ animo cernuntur, ſed ſecum reputans, adhibénſque ſuæ rationis vſum.

2 Mens nedum intelligit ea quæ ſunt, ſed etiam ea quæ nulla ſunt, quippe mente & cogitatione depingamus Centauros & monſtroſa multa quę nunquã exſtiterunt. Ergo vt perceptionem aliquam rerum teneat, mens nihil mittit foras in res quas conſiderat: neque enim poteſt mittere in ea, quę nihil ſunt. Quum nunc Ariſtoteles arbitretur mente & ratione cerni poſſe ea quæ nunquã fuerunt, neque ſunt, conuincitur quoque exiſtimare nõ omnia quę mẽte & ratione intelliguntur, mouere ſenſus.

3 Mens omnia intuetur & conſiderat ex figuris quas tenet & comprehendit ſimiles rebus ipſis quę intelliguntur.

Quid igitur intereſt, cùm res maiores intelligit? An quòd illas quæ minores ſunt intelligat? Sunt enim minora omnia quæ intus ſunt & proportione quadam reſpondent iis quæ extra ſunt.

1 Explicat quæſtionem, quo pacto mens poſſit intelligere

telligere res pręstātioris magnitudinis,quippe cùm earum forma quæ in animis nostris inest,sit multò breuior rebus tantę magnitudinis.Respondet formas,quæ à rebus natę in animis nostris imprimuntur,proportione quadam assimilari rebus, quæ intelligentia & ratione constant.

2 Quæ intus sunt formæ rerum & in animis nostris impressæ,sunt multò minores rebus ipsis,quæ tanta magnitudine præstant,quibus tamen proportione quadam asimilantur & respondent.

Licet autem fortasse quemadmodum in formis rerum, proportionem,sed ipso tēpore adhibito,notare:sic & in interuallis,veluti si exempli causa lineam A B & B E cōfecit,lineas etiam A C, C D confecisse videtur : eandem enim rationem A C & C D habent, quàm illæ inter se. Quamobrē ergo A C, C D lineas potius quàm A F, F G peregerit? An etiam quam rationem A C ad A B habet eandē K H habet ad K M? Has igitur simul perficiet. Quòd si lineas A F, F G nosse velet, A B, B E eodem modo intelliget,cùm interea pro K M, K L intelligat. Hæ enim lineæ eandem habēt inter se rationem,quam F A, ad B A habet.



r Præclara similitudine & facili docet quo modo formæ rerum quæ in animis nostris insunt, etsi minores sint rebus à quibus nascuntur, respondeant certa quadam ratione, rebus ipsis. Quemadmodũ inquit, interuallum minus proportione quadã respondet maiori interuallo, sic rei forma quæ in animo est, assimilatur quodã modo rebus à quibus hausta est, & profecta.

Cùm ergo simul & rei, & temporis motus existit, tum animus memoriam ad opus conuertit. Si verò non faciat, & se facere putet, tum si meminisse existimat. Nihil enim prohibet, aliquẽ falli, eique videri, cùm nõ ei in mẽtẽ venit.

1 Docet quo modo memoria sit coniuncta cum tempore, quando, inquit, animo percipimus & tẽpus præteritum quo primum rei cognitione fuimus informati, & rem ipsam ex nostris mentibus nõdum effluxisse, tum demum meminimus. Quare memoria est adiuncta tempori.

2 Interdum, inquit, in recordando fallimur, vt cùm existimamus iampridẽ nos fuisse præditos cognitione rei, quam nunquam tenuimus. Neque licet arbitrari memoriam decipi, nam sola mens decipi & falli potest, siquidem verũ & falsum sunt mentis quatenus fert iudicium.

3 Putat sibi in mentem venire quum tamen nondum fuerit rei perceptione imbutus.

At verò vt is qui memoria agit, non putet, sed se meminisse ignoret, hoc fieri nullo modo potest. Hoc enim meminisse esse diximus. Cùm verò rei motio sine vlla temporis, aut cõtrà hæc sine illa existit, tum nemo meminisse dicitur.

1 Qui non putat se ignorare, sed recordatur se aliquando rei perceptionem tenuisse, is non meminisse non potest.

2 Nam memoria non est sine tempore.

Temporis autem duplex est notitia, aliàs enim mensura adhibita, non meminimus, vt hoc tertio die factum esse, sed aliquando: aliàs etiam mensura adhibita, meminimus. Verumtamen habetur memoria etiam si mensuram non adhibeamus, hinc soliti sumus dicere,

nos quidem meminisse, sed quando id factum fuerit, nescire, atque id tum denique dicimus, cùm hoc non habemus cognitum, quando & quampridem id factum sit.

1 Quia superiùs confirmauit memoriam coniunctam esse cum tempore, nūc declarat an tempus cui memoria adhæret, sit certum, vt dies vnus, duo, tres aut plures, an sit incertum, vt cùm certum dierum numerum non tenemus. Respondet Aristoteles nihil interesse in recordando: satis enim est, dum modo sensum temporis habeamus, siue certum sit, siue incertum & anceps tempus.

Ac illud quidem docuimus, non eosdem memoria valere & recordatione.

1 Hunc locum persequuti sumus superiori capite.

Differt autem meminisse à recordando non solùm tempore, sed hoc etiam, quòd memoria multa animalia attingit, recordatio verò in alio nullo eorum quidem quæ nota sunt, nisi in homine reperitur.

1 Superiùs docuimus, memoriam non separari à recordatione, recordationem autem Aristotelis esse facultatem mentis quæ ratiocinatur. Vtrūque tamen nunc disiungit: nam memoria & recordatio tempore differunt, quòd memoria sit antiquior re-

cordatione. Præterea memoria est communis beluis & hominibus, at recordatio cadit solummodo in homines: profectò vt mens, sic mentis memoria àbel uis discrepat.
2 Hoc adiecit propter eos, qui ponunt quosdam aëreos homines, nam huiusmodi non habemus perspectos neque cognitos.

In causa est, quòd recordatio quasi quædam ratiocinatio est. Se enim antea audiuisse, aut vidisse, aut aliquid tale percepisse, is qui recordatur, secum ipse reputat, éstque hoc quasi quædam quæstio: quod quidem iis solis à natura tributum est, quibus etiam ea vis animi data est, qua consilium capimus etenim deliberare, & consilium capere, quadam est ratiocinatio.

1 Duplici argumento confirmat recordationem solis hominibus conuenire, primùm quia recordatio est quasi ratiocinatio quædã, at ratiocinatio est hominibus propria, idcirco recordatio quoque tãtummodo hominibus accommodatur.
2 Non erat adiiciẽdum quasi, nã ꝓfectò recordatio, quam superiùs persequutus est, tacita & muta, siue nondum oratione explicata ratiocinatio est.
3 Is qui recordatur, inquit, subiectã habet quęstionem delitescentem, & quam oratio adhuc non expressit. Ex quo scire licet, recordationem Aristotelicam esse ratiocinandi vim, quam oratio non expli

cauit, etenim quæstio ratiocinando illustratur, non autem recordando. Secundum argumentũ ex quo efficit recordationem solis hominibus tribuendam esse: nam recordatio in eos solummodo incurrit, qui valent ad capiendum consilium, quod quidem solis hominibus datum est. Hæc argumentatio, vt superior facilè declarat literam Aristotelis ratiocinandi vim persequi, nam deliberatio est ratiocinatio quędam recondita, & quam non explicauit oratio, neque vlla similitudinis ratione cohærent iungíque possunt memoria, & vis ea animi q̃ deliberat.

Motum autem esse quendam qui ad corpus pertineat, recordationem, & quæstionem in tali viso, hinc sciri potest, quòd nonnulli offenduntur, cùm recordari non possunt, & cùm quantùm valent mentem sustinent, nec iam diligentiam studiúmque in eo ponunt, nihilominus recordantur: cuius generis sunt maximè melancholici. Hos enim visa monent agitántque maximè.

1 Recordationẽ quodam modo pertinere ad corpus, ex eo probat, quoniam recordatio diligens hominem offendit, si non possit rei memoriam repetere, quam vult sibi venire in mentem. His literis licet mirari Aristotelem tam leui ratione conuinci, cuius commentitia recordatio certè aliud est nihil præterquam muta quædam ratiocinandi vis, quæ

reuocat ea quæ obliuioni dedimus adhibito argumento, quod eliciatur ab iis quæ adhuc in animis nostris insunt, neque effluxerunt: eam autem ad corpus pertinere arbitratur Aristoteles, quoniam huiusmodi recordatio aliquando nos offendit; verumtamen non lædit nos per se, sed quia acris & diligens rerum consideratio ad extremum spiritus & naturalem calorem debilitat, vnde corpus quodam modo violatur. Neq; propterea existimandũ est ratiocinandi vim esse corporis.

2 Declarat eos valere ad ratiocinãdum, quos res perspectę multùm agitant, & qui mentis impulsiones coercere, neque reprimere, possunt, quatenus plenàm rei oblitæ memoriam repetierint.

Causa autem cur in eis non est situm, vt recordentur, est, quòd quemadmodum ij qui iaculantur, iam non possunt iactum telum reprimere, sic is qui recordari vult, & aliquid inuestigat, aliquid corporeum impellit, in quo sita est hæc animi permotio.

1 Hæc ad ratiocinandi vim mutam nec vlla oratione expressam referenda sunt, non autem ad commentitiam Aristotelis recordationem.

Itaque similitudine à telis desumpta probat interdum vim ratiocinandi tantopere vigere vt leui pulsu incitata vix retineri possit: quemadmodum

tela quæ leuiter impulsa magno impetu feruntur, nam arbitratur Aristoteles hanc vim ratiocinãdi in ea corporis parte sitam esse, quam coercere & perdifficiliter temperare possumus: quæ quidem Aristotelis ratio omni ex parte mihi videtur refellenda neque enim ratiocinatio neque memoria aut recordatio in corporis parte sedem habent, sed in mentibus nostris insunt. Cur verò non tam citò contineatur incitata mentis permotio, causa est acris & altior rerum intuitus. Propterea melancholici homines pollent facultate ratiocinandi, nam acriter & sedulò introspiciunt rem subiectam.

Omnium autem maximè perturbantur ij, quibus in eã partem animi, quæ sensum continet, humorem casus infuderit. Neque enim commoueri desistit, quoad id quod quæritur, se offerat, motúsque animi certa via procedẽs ad metam perueniat.

1 Aliam reddit causam cur mens interdum agitata, nunquam desinat, quoad se offerat id quod quæritur. Humor, inquit, implẽs, aut qui alluit partem eam corporis in qua mẽs sita est, est autor huiusmodi perpetuæ motionis.

2 Videte Aristotelem impiè & nequiter omnes animi facultates adiũgere rebus corporeis: humor profectò nõ est huius permotionis animi causa, sed acris & diligens intuitus rerum, quæ ratione & in-

telligentia cernuntur.

3 Cerebrum continet partem animi quæ ſentit, quod cùm humores alluunt, aut implent, nihil mẽte nec ratione depingere poſſumus, neque animo quidquam cernere: quod videre licet in apoplecticis, maniacis, & in omni morborum genere, quo cerebrum confertum humoribus eſſe intelligimus: proinde id ſemper tribuendum eſſe exiſtimaui ſedulitati, quam adiungimus ad res intelligendum.

4 Neque recordatio neque memoria verſatur in quæſtionibus explicandis, ſed ſolùm ea animi vis quæ ratiocinatur, recordatio Ariſtotelis ratiocinatio eſt.

Itaque & horrores, & irarum ardores poſtquam ſemel excitata ſunt, illis etiam contrariantibus non ſedãtur, ſed eodem contra impulſum eorum rapiuntur: eáque animi perturbatio accedere videtur ad nomina, cantus & orationes, cùm ex eorum ore aliquid cùm impetu excidit. Cùm enim deſtiterint, etiã inuiti rurſus canere, & verba facere incipiunt.

1 Docet exemplo, cur huiuſmodi animi motiones ob infuſos humores in cerebrum vix coerceri & reprimi poſſint, nam ſi tum demum canere, loqui, aut diſputare incipiant, etiam inuiti loquuntur & diſſerunt, quòd impulſus humoris mentem agi-

tet. Sed hæc Aristotelis ratio omni reprehensione digna mihi videtur, neque enim huiusmodi perpetuæ motionis animi causa est humor quo cerebrū oneratur & perfunditur, siquidem humores in cerebro mentem ex suo statu potiùs dimouēt, quàm eius vim amplificare possint, quare id referre licet ad eam mentis acrimoniam quæ sedulò res omnes percontatur & inuestigat. Quando enim aut perhorrescimus aut irarum furore ardemus, mentis acie acerrimè contenta sumus prædìti. Itaque faciliùs permouemur, & mentis impulsionem vix temperare possumus, cum tamen nullus humor aut cerebrum perfundat, aut illud confercire sentiatur.

2 Nomina quæ ab omni coniunctione vacant.

3 Orationes sunt ex nominibus compositæ, quæ si verum aut falsum enuncient, dicuntur effata, sin minùs, sunt duntaxat orationes.

Sed ij qui superiores capitis partes maiores habent, atque pomiliones, obliuiosiores sunt iis, qui contrario modo affecti sunt: propterea quòd magno pondere depressa sit illa eorum pars in qua sensus sedes est, nec poßint ab initio motus animi in eis consistere, sed dißipentur, nec facilè in recordando recto ordine progredi.

1 Docet exemplo constructionem corporis memoriæ & recordationi obesse, nam maior, inquit, capitis amplitudo obliuionem parit, quòd in ea latiùs vagetur mens, neque possit recta rerum veritatem perscrutari, sed in exquirendo animi vis distur betur, atque planè desinat. Hunc verò locum Aristotelis arbitror alienum esse ab omni veritate. Primùm quia caput breue potiùs fatuum hominem declaret, quàm aut singularem memoriam, aut mentis acrimoniam præstantiorem. Deinde magna cerebri copia maiore vbertate animi potitur, quàm in pauca quantitate cerebrũ, sed vberior animus mentem auget atque amplificat, siquidem docuimus superiùs mentem esse partem eam animi, quæ in cerebro sita est. Quapropter multa mens in multo erit cerebro, amplitudo ergo capitis neque memoriæ, neque sensuum iudicio obest. Verùm vt rem omnem in pauca cõferam. Puto ego caput formatum fictúmque vt decet, siue breue sit, siue amplum, magnam habere vim ad celeritatem ingenij, sed caput ita constructum, vt ei pars anterior aut posterior, aut vtraque desit, uon valet ingenio, & multò minùs memoria, nam id ex eo euenit, quia fœtus in vtero aliqua laborauit ægritudine, quæ deinceps impedit præstantiores animi vires. Quamobrem forma naturalis capitis præstantissimam mentis aciem reddit.

2 Falſum eſt,cerebrum mentem onere ſuo deprimere,eſt enim menti tanquam carcer & cuſtos,tributum cerebrum, in quo mens perluſtrat omnia quæ ratione & intelligentia conſtant.

Qui autem admodum pueri ſunt & ſenes,eos obliuioſos motus efficit,quòd hi in magna deceßione ſint,illi in acceßione. Adde quòd pueri ad multam vſque ætatem ſunt pomilionibus natura perſimiles. Ac memoria quæ natura ſit, quáque animi parte animalia meminerunt,& recordatio quid ſit,quóque modo exiſtat, & quam ob cauſam, diximus.

1 Hunc locum ſuperiùs perſequuti ſumus.

FINIS.